

1579

*Salaffio-
rum rerum
compositio.**Austria-
corum &
Germano-
rum Prin-
cipum Ve-
netias ad-
ventus.**Antonius
Theupolus
& Vincen-
tius Throno
oratores
ad Germa-
nos Prin-
ces.*

convenere. Post varia utrimque agitata, tandem concordiae ratio inita est. Bellagardius ab Henrico Salaffiorum gubernator, ac cis alpes Prorex est declaratus; motusque armorum compressi, qui haud multos post annos, veluti majoris incendii consopitae favillae, in republica christiana, ac praecipue in Gallia, emerfere.

Dum haec graviora pertractantur, Ferdinandus Archidux Austriae, Maximiliani Caesaris nuper defuncti frater, Maximilianus ejus nepos, Rodolphique Caesaris frater, una cum Bajoariae Principe, ac Brunsvicensi Duce, visendae urbis studio Venetias accessere. Prope Taurisium Senatus jussu ab Antonio Theupolo & Vincentio Throno excepti; Dandulae gentis ad Judaicam aedes datae, sumptus aere publico factus, nullaque in eos publicae liberalitatis studia defuere. Per id tempus de veteribus componendis inter Austriacos ac Venetos controversiis actum; quae res saepius tractata, & praesertim anno M. D. LXIII. ad exitum perducere non potuit. Rodulpus omnem diffidiorum materiam amputari, arctiorique Reipublicae necessitudine jungi cupiens, id per Sigismundum Caballium, Reipublicae legatum, ac Dorimbergium suum Venetiis oratorem Senatui significat; petit, ut sequestri mittantur, qui cum suis de definiendis controversiis agant; ni convenire possint, se non uti judicem, sed amicum ea in re operam interpositurum. Patres, qui, ut eae controversiae penitus tollerentur, saepe adnixi fuerant, Senatusconsulto, ut bini Senatores in id eligerentur, tulere: Joannes Grittus, ac Leonardus Donatus lecti. Et quoniam cum Ferdinando & Carolo fratribus nonnullae difficultates adhuc vigeabant, Carolus se quoque ea tractatione comprehendere voluit: Ferdinandus licet initio quibusdam impediri se, affirmaret; tamen, ut apud Caesarem de Marresenae montibus, deque sententia Tridentina M. D. XXXV. lata exequenda ageretur, est assensus, atque ad reliqua definienda legatos mitti postulavit.

*Joannes
Grittus &
Leonardus
Donatus
ad contro-
versias de fi-
nibus cum
Germanis
tollendas
electi.**Franci-
scus Magnus
Dux He-
truriae Blā-
cam Capel-
liam uxore
duxit.*

Eodem anno Franciscus, Magnus Hetruriae Dux, Blancam Capelliam, Bartholomaei patricii filiam, sibi connubio junxit. Ad eam rem Senatui significandam Marium Sfortiam, Comitum, Cardinalis Sanctae Florae fratrem, misit. Is, qua observantia, ac existimatione Rempublicam Franciscus prosequeretur, luculenter exposuit, rationesque suas nullo unquam tem-